

guntur. Primo autem, quia in §. 1. b. l. dicitur, quod quoad hanc satisfactionis immunitatem etiam nudus propriarius pro possessore habeatur, eapropter recte docent Dd. multo magis illum, qui plenum habet rei immobilis dominium, tanquam immobilium possessorem liberandum esse ab hac satisfactione. Si enim sufficit ad hanc immunitatem, quod minus est, nimirum nuda proprietas, utique sufficiet etiam illud, quod majus est, nimirum plenum dominium; quod maxime excludit fugæ ac latitationis metum atque suspicionem.

§. II. Secundo ex eo, quod etiam Emphyteutarius satisfacere non cogatur, recte concludunt Dd. nec Vasallum & Superficiarium ad hanc satisfactionem teneri. Cum & hi in re feudali & superficiaria jus habeant, cum universa utilitate, quod à Dd. utile dominium vocatur, & in illorum successores transit. Deinde ipsi quoque rem feudalem & superficiariam ad minimum naturaliter possident, atque eo ipso à fugæ suspicionem, & per consequens ab hac satisfactionis præstatione liberantur. Carpzov. I. F. part. 1. constit. 5. def. 20. Nec obstat 2. feud. 23. vers. *Ususfructus vero illius rei, in f. ubi Vasallus vocatur Ususfructuarius, qui nequaquam à satisfactione est immunis. d. l. 15. §. 1. in f. b. l.* Nam quamvis etiam feudum recte Ususfructus quidem dicatur, non tamen talis est Ususfructus, qui morte Ususfructuarii finitur, & tam facile cum proprietate consolidatur, uti ususfructus, qui est servitus personalis, de quo agitur in d. §. 1. b. l. Siquidem feudalis ille Ususfructus, uti dictum, etiam in successores transit, & propterea Vasallum non minus à fugæ suspicionem liberum reddit, ac jus Emphyteutarium ipsum Emphyteutam.

§. III. Ter-